# INCIPIT COLLATIO ABBATIS PAPHNUTII DE TRIBUS ABRENUNTIATIONIBUS

IN illo sanctorum choro qui uelut astra
purissima in nocte mundi istius re-
fulgebat, uidimus sanctum paphnutium uice lumina-
ris magni claritate scientiae coruscantem;
Hic namque presbiter congregationis nostrae id est
illius quae in heremo sciti morabatur fuit, in qua ita
ad extremam durauit aetatem, ut numquam e cella
quam iunior coeperat habitare quae quinque ab ecclesia
milibus distabat, saltim ad uiciniora migrauerit
nec fessus annis die sabbati uel dominica uenturus ad
ecclesiam tanti itineris spatio uexaretur, ne uacuus quidem
reuerti exinde contentus uas aquae quam per totam erat
ebdomadam sumpturus suis ceruicibus subponens repor-
tabat ad cellam; Cumque nonagenariam excessisset
aetatem, numquam passus est eam iuniorum sibi labore de-
ferri; Hic itaque ab adulescentia sua ita coenobiorum
se tanto ardore tradidit, ut breui paruo tempore commo-
ratus tam subiectionis bono quam uniuersarum uirtutum
scientia pariter ditaretur; Humilitatis namque et oboedien-
tiae disciplina omnes suas mortificans uoluntates et per hanc
extinctis uniuersis uitiis cunctisque uirtutibus consummatis,
quas monasteriorum instituta uel antiquissimorum patrum
doctrina fundauit, sublimioris perfectus ardore succensus
heremi festinauit recessa penetrare, Ut deo cui inter fra-
trum turbas positus sitiebat inseparabiliter inherere, nul-
lo deinceps humano consortio retrahente facilius uni-
retur; Ubi rursum tanto feruore etiam ipsorum anacho-

© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_560/0013